DE
SYPHILITICIS VISCERUM AFFECTIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS KOERFER

AQUISGRANENSIS.

AMICIS OPPONENTIBUS:

GUIL. WEIDENBACH, DR. MED. ET CHIR.
GUIL. WIRTH, DD. MED. ET CHIR.
HENR. BEYEL, DD. MED. ET CHIR.

BONNAE

IMPRESSIT I. F. CARTHAUS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMMOPERE VENERANDO

MAUR. ERN. AD. NAUMANN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI MEDIC. DIRECTORI, EQUITI, COMPLUR. SOCIETAT. LITT. SODALI, ETC. ETC.

D. D. D.

AUCTOR.

De syphiliticis viscerum affectionibus.

Vix ullum exhibet pathologica et therapeutica scientia morbum, qui tot tantorumque virorum in se oculos traxerit, quique majore librorum illustretur numero, quam syphilis.

Exculta magis anatomia pathologica auctoque microscopi atque chemiae studio, ars quoque nostra magis magisque exculta est; priores aut refelluntur aut firmantur quotidie coniecturae, neque omnino dubitandum, quin aurea nostrae arti futura sit aetas. E contrario autem extravagantes quaedam coniecturae atque opiniones nostrae aetatis prolatāe sunt, quibus coercendis refellendisque sanae mentis quisque artis nostrae studiosus operam dabit quam maximam. Quare quum omnibus, tum nobis quoque, de syphiliticis viscerum morbis tractantibus, id maxime cavendum esse videtur, ne sanam accuratamque observationem negligentes, suspicionibus maxime vanisque coniecturis decipiamur.

Quod eo magis hîc cavendum, quo difficilior talium morborum plerumque sit diagnosis, quae summum acumen, summam quoque in indagandis, comparandis, diiudicandisque omnibus praeteritis conditionibus et praesentibus medici postulet ingenium. Quae omnia tam difficilia factu, ut vix ullae firmae dari possint regulae semperque valentes, quas secutus diiudicare possit medicus, num syphilitica adsit affectio, annon. Multa denique iudicii acritas, multa quoque ingenii humani scientia medico inesse debet, cui vera e tot, quas quotidie invenimus, simulationibus secernenda sunt. —

§. 1. Systema nervorum.

Multa de nervorum syphiliticis affectionibus recentiore imprimis aetate observata scriptaque sunt, in quibus vera a falsis minus disiuncta esse videntur nimia quadam medicorum levitate.

Rayer[1]) illo, quem „de syphilide cerebrali sive meningea scripsit," libro, exempla quaedam attulit huius tenoris: Operarius quidam quadraginta annos natus, qui antea syphilide laboraverat, continuo fere affectus erat vertigine, cui coniuncta erat cephalalgia, subito comate succubuit; epileptici accedunt spasmi, deinde mors. Dissectione instituta invenitur meningitis chronica tumorque gummosus, nullus focus apoplecticus.

Diagnosin syphilidis cerebralis Rayer pronuntiat aegreque se ferre dicit, quod, vivente adhuc aegroto, hanc non diagnosset. Quae autem, quaeso, talis diagnoseos fundamenta, quae indicia sunt, e quibus syphilitica cerebri ipsius affectio demonstrari possit? — Alios tres quatuorve tales observasse se dicit casus, ubi encephalomalacia, semiparalysis, stupiditas incipiens cum delirio et sine illo, remota sint adhibito mercurio et kalio iod. Firmatas esse dicit diagnoses suas nocturnis ossium doloribus, exostosibus in diversis corporis partibus, ulceribusque specificis. Quae omnia concedentes, Rayero tamen syphiliticas hîc ipsorum nervorum affectiones concedere non possumus.

Alius huc spectare videtur casus a Naumanno prof. il-

---

1) Annales de thérap. 1847 et in „Schmidt's Jahresbücher" vol. LVIII. pag. 47.

lustr. allatus: Femina quaedam viginti octo annos nata, quae quinque annis ante nupserat, ante triennium ulceribus syphiliticis a coniuge infecta est. Res per temporis quoddam intervallum silentio obtecta est, coniux medici munere functus. Accitus deinde medicus, multum iam substantiae amisisse reperit clitoridem, labiaque pudendi utrimque, indolentesque bubones observavit. Exortae deinde innumerae sunt affectiones secundariae et tertiariae, quae longinquam postulabant curam. Reiterata salivatione secutaque reliqua cura omnino callapsa est aegrota; hysterici, quibus iam antea vexata erat, insultus maxime adaucti sunt. Post eum, qui sanationem putatam secutus est, annum, vehementes exorti sunt epileptici paroxysmi, iam in quotidie revertentes, intermisso quodam temporis intervallo violentissimi capitis dolores dextrum latus, sinistrum autem stupor et anaesthesia cruciaverunt. Octavo deinde spasmorum epilepticorum mense apoplexia vitam huius finiit miserrimam.

Sectio deinde instituta cariem ossis parietalis dextri edidit, dura mater longe secesserat ab ossibus, saccus quidam, sanguine putrido repletus, cerebrum assidue pressisse visus est. Hoc loco meninges distortae erant, cerebri substantia corticalis subfusca malaxata erat, substantia medullaris malaxiae rubrae phaenomena exhibuit, ventriculi utrimque et meninges nondum retortae exsudatum sanguineo-serosum ostenderunt.

Aliud[2]) Minich attulit exemplum adolescentis cuiusdam, qui continuo capitis dolore affectus, tandem cura Dzondiana sanatus est. Ad quod sanationis genus inductus est medicus alopecia et maculis cyprii coloris in pectore observatis.

Hic quoque syphilidem meningeam affuisse putat.

Aptiore autem verborum modo uti videtur Dr. Buss[3]) exemplum proferens inveteratae larvataeque syphilidis, quam

2) Schmidt's Jahresbücher vol. LV. p. 88.

3) Hufeland's Journal für die praktische Heilkunde 1837, Nro. IV.

apoplexia et hemiplegia exceperunt. Iuvenis quidam morbo syphilitico laborans clam, nullaque diaetetica adhibita ratione per tres menses frustra sublimato usus est; mercuriales secutae sunt affectiones; ulcera deinde a medico statim remota mox reverterunt, nec sublimato iterum adhibito cesserunt. Inunctionibus hydr. cin. adhibitis secundaria tamen atque tertiaria phaenomena apparuerunt, quae alteram, tertiamque postulabant curam. Subito iuvenis ille apoplexia afflictus est, dextrum latus paralysis occupavit; alter apoplexiae insultus secutus est, evanuerunt omnes mentis facultates, lingua, memoria, alia.

Hîc Buss certi quid affirmet, non habere se confitetur, in dubio est utrum syphilide ipsa an mercurii usu adducta sint haec phaenomena, nunquam tamen syphiliticas nervorum systematis affectiones adductas esse contendit.

Militis cuiusdam senis casum allatum invenimus in Schmidtii annalibus. Miles ille extremitatum inferiorum laboravit paresi, quae tumorem vertebrarum dorsalium secuta erat, iodi autem usu sanatus est. Bernard [4]) paraplegiam syphiliticam affert enarrans: virum quendam triginta septem annos natum in clinicum receptum esse, qui vix baculi adiumento incedere pedetentim potuisset; eundem sensisse molestissimam quandam in inferiore ventris parte constrictionem [in renum regione] anaesthesiamque integumentorum inter sextam et octavam costam affuisse; in tibia fuisse exostosin, urethram effluvium edidisse parvum, epidydimin exiguam tantum intumescentiam exhibuisse. Ex huius viri confessionibus curationibusque (v. Swieten), quibus subierat, syphilide eum quondam affectum fuisse medicus coniecit. Jodum sanavit.

Alium quendam paraplegia laborantem, qui tanquam incurabilis ex omnibus Lutetiae nosocomiis demissus erat in Bicêtre receptum Dr. Prus [5]) iodo curatum sanatumque esse dicit, quum exostosis dextrae scapulae syphilidem indicasset.

---

4) Paraplegia syph. „Hospit du midi“ par Chr. Bernard (l'union 1853 Nro. 141) et Schmidt's Jahresbücher 1854, Nro. 5.

5) l. c.

Ricord [6]) exemplum protulit hominis, cui, quum ante annos octo primaria syphilitica affectione laboravisset, spasmus dextri cruris subito contigit, quem paulo post hemiplegia est secuta. Frustra per duos annos remediis antiphlogisticis et revulsivis tractatus, cura specifica, Ricordio auctore, instituta, sanavit.

Simile Schmidtii annales [7]) exhibent exemplum, aliique inveniri possunt casus, ubi Pareses, Paralyses, Neuroses variorum generum, quas Munk, Ebrard, Budd, Jnman, Gergerès, Rodrigues, Thierfelder, alii observarunt, ex anamnesi additisque his symptomatibus morborum syphiliticorum in modum remotae sunt. Huc quoque spectare videntur musculorum, imprimis flexorum contractiones, quas Ricord aliique observarunt.

Inquirentes autem, quid ex omni experientia hic obstringat nos, ut systema nervorum syphilitice affectum censeamus; nihil profecto esse invenimus. Non enim usque adhuc ullae repertae sunt ipsorum organorum mutationes, quae syphilidem adesse vel affuisse certo indicaverint. Num tumor ille a Rayerio indicatus alium quam omnes tumores habuit effectum? Quo modo autem Rayer, quomodo Ricord, Bernard, alii, syphiliticam ipsorum nervorum affectionem e casibus suis demonstrare possunt? An omnes mutationes, quae in organis eorum, qui quondam syphilide laboraverunt, syphiliticae originis putandae sunt?

Absit a nobis ista opinio, non enim tali nomine vocandae sunt istae affectiones, fere semper mechanico quodam modo effici videntur, aut tumefacto periosteo [8]) aut ipsorum ossium [9]), nunquam autem directa quadam nervorum affectione.

---

6) l. c.

7) Schmidt's Jahresbücher Supplband. Nro. IV. p. 401.

8) Exsudatis in meningibus exempl. causa. Cf. Deutsche Klinik, Nro. 25 1854. casus III a Dr. Führer descr.

9) Casus Naumanni ill.

§. II. *Organum visus.*

Non nobis hic dicendum videtur de iritide syphilitica, de ulceribus corneae syphiliticis, de excrescentiis, condylomatis oculi talibusque, quae satis iam scientia atque experientia explanavit. De syphilitica autem amaurosi eadem valent, quae supra diximus, neque refutantur eo, quod Knorre [10]) attulit, exemplo, reperisse se in homine, qui per annos quosdam syphilide laborasset, nervos opticos cum chiasmate transmutatos in materiem luridam.

§. III. *Organum auditus*

quoque syph. morbo affici vitiarique potest, neque omnino hoc transeundum, aut parvi aestimandum est otoiatricae. Inflammationes, ulcerationes partium maxime necessariarum, nodos, tophos, condylomata, quae saepe auditus vias obstruant syphilitica esse posse, nemo nunc negare potest, de syphilitica autem nervorum affectione eadem, quae supra censemus.

§. IV. *Sinus frontales, maxillares, sphenoidales*

haud raro syphiliticis affectionibus sedem praebent, nec raro efficiunt cephaleiam, hemicraniam, vertiginem, sensuum illusiones, talia. Praeter reliqua symptomata proprium hoc habent, ut semper nocturnae cum iis iunctae sunt exacerbationes.

§. V. *Lingua.*

Lingua syphiliticis affecta est morbis ulcerum specie atque indurationum etc. (quae, ne scirrhum putemus, cavendum).

§. VI. *Cavitates narium et oris*

saepissime syphilide afficiuntur, quum membrana mucosa obtectae sint, aliisque ex causis.

§. VII. *Larynx et trachea* [11]).

Harum syphiliticae affectiones haud rarae sunt. Waller enim e quinquaginta duobus syphiliticis decem et septem tales

---

10) Amaurosis syph. Deutsche Klinik 1849, Nro. VI.

11) Glandulam thymi neonati cum exanthematibus syph., qui triduo post partum obiit, omnino ulceratum vidi.

observavit; saepissime reperiuntur ulcera, condylomata etc. in epiglottide, in ary-epiglotticis, laryngeisque ligamentis; plerumque inflammationes harum partium, tussim, raucitatem, aphoniam, talia repraesentantes, quin etiam deletam omnino, exulceratamque laryngem observavimus (Phthiseos laryngeae nomen haud ignotum). Cuius formae, ne plura exempla, unius tantum a Schillingero [12]) allati mentionem faciam:

Miles quidam syphiliticis faucium ulceribus laborans mercurio sublimato restitutus est; post menses quosdam ulcera linguae raucitasque ei contingunt, iodo curatus est, raucitas tamen pertinax mansit coniunctus cum fixo quodam in larynge dolore. Quae symptomata remediis aptis lenita nec tamen remota. Subito plures ossium particulas tussiendo eiecit, collum spissata tela cellulosa intumescit, ut, ne suffocaretur, laryngotomia instituenda esset, tubulus immissus est [13]), qui respirationis munere fungeretur. Postea omnia concreverunt, solaque respirationis via tubulus ille fuit. Num ulla aut quae alia organa affecta sint, non traditur. Quorum exemplorum multa exstant, quorum enumerandorum tempus nos deficit. Hoc tamen addam necesse videtur, has affectiones saepe non solum locum tenere in larynge sed longius procedere, innumeras tracheae et bronchiorum maxime varias efficere affectiones, vastamque medico exercendi acuminis materiem praebere.

Pectoris viscera.

§. *VIII. Pulmones.*

Quorum affectiones, quum sint omnino creberrimae, permultos quoque de syphiliticis pulmonum affectionibus libros

---

12) Syph. Kehlkopfstenose cf. „Oestreichische Wochenschrift vii. 1847.“ Porro: Syph. Kehlkopfverengerung v. Oppolzer cf. „Prager Vierteljahrsschrift, Nro. I. 1849.“

13) cf. deutsche Klinik Nro. 25, 1854. II. cas. a Dr. Führer.

conscriptos, plerumque phthiseos venereae titulo, invenimus. Astruc iam, Hunter, alii, morbi pulmonum syphilitici mentionem faciunt. Schroeder v. der Kolk, Graves, Morton de eodem scripserunt, quorum postremus mirari se dicit, quod frequentiora non sint eius genesis pulmonum ulcera ortaeque ex iis phthises, imprimis in morbis male tractatis, qui eam ob causam chronici facti sint. Sauvages, Matride, Cullen, Porter, James Sims huius morbi mentionem faciunt et Sims in morbo syphilitico sanguinis dyscrasiam adesse censet; deinde non mirum esse dicit, quod phthisis pulmonum saepius ex hac, quam ex inflammationibus originem ducat, porro iis in casibus, ubi non longius affectiones propagatae pulmonesque nondum prorsus inflammati sint, mercurium adhibendum esse putat. Talium curationum exempla attulerunt Hoffmann, Morgagni, Tode, Schwartze, alii, nos quoque exemplum a Simonio ill. exhibitum afferamus:

A. St. aegrota, tussi vehementi cum sanguinis eiectione vexata, Simon se tractandi causa, adiit. Vitae conditiones, habitus, constitutio aegrotae phthisin non indicarunt, ita ut Simonio suspicio contigit, syphiliticam affectionem celari. (unde?) Talem autem affectionem a se alienam esse, aegrota affirmat, quanquam oris cavitas, uvula, amygdalae rubicunda aliquantulum apparuerunt. Itaque contra catarrhum neglectum medicamenta ei porrecta sunt; frustra tamen, id quod suspicionem medici auxit. Post temporis intervallum Simon denuo cavitatem oris scrutinio subiecit, ulcera suspiciosa in tonsillis reperta sunt. Nunc, inquit Simon, nulla mihi de fictae huius pulmonum affectionis tuberculosae origine dubitatio erat. Aegrota, quae adhuc castitatem suam affirmaverat, confessa denique est, se coitum exercuisse cum viro.

Calomel. c. opio; adhibito affectio lenita est, subito tamen aegrota medicum reliquit. Paullo post malum rursus apparuit. Calomelanos cura tractata aegrota, salivatio sequitur, qua magnopere collapsa, trium hebdomadum spatio restituta est sanaque mansit. — Quod larvatae phthiseos syphili-

ticae pulmonum exemplum doceat dubitantes, Simon inquit, pulmonumque affectiones a causa venerea apud puellas publicas haud raras esse.

Nunc Naumanni ill. prof. exemplum afferendum esse putamus: R. S., triginta tres annos natus, ante septem annos ulceribus syph. laboraverat primariis, quae longe neglecta, nullaque fere sana ratione adhibita, curata fuerunt. Deinde secundaria, exanthemata diversis sub formis, apparuerunt, condylomata, pharyngis ulcera secuta sunt. Complures consulti sunt medici. Postremum syphilitici ossium dolores oriebantur. Multum hydrarg. iod. flav., kalii iod. ordinatum est. Post biennii sexque mensium spatium tandem funditus sanatus esse videbatur aegrotus, tamen quotiescunque cibo condimentis confecto aut vino aut maiore corporis motione calefactus erat, innumerae apparuerunt maculae thaleri magnitudine, urentem vehementemque pruritum efficientes quae plerumque per diei vel triginta sex horarum spatium manserunt et epidermidis desquamatione quadam facta evanescere solebant. Exceptis his affectionibus, aegrotus biennium sanus remansit, tunc autem pectus afficiebatur; urens sensus et quaedam medii pectoris compressio tussis plerumque sicca cum nullis fere sputis [quae si aderant, striis sanguineis mixta], noctu dyspnoea molestissima cum sensu quodam constrictionis aegrotum cruciabant. Accuratum aegroti examen nulla tuberculoseos, emphysematis, pneumoniae chronicae aut cordis affectionum indicia edidit. Magna deinde cautione hydr. hydrochl. corr. adhibitum est ($^1/_6$—$^1/_2$ gr. pr. die) et post breve temporis intervallum (hydr. hydrochl. corr. gr. X consumptis) aegrotus sanatus dimitti potuit.

Similia afferuntur in actis [14]) med. quae Londinii prodeunt; sic aegrotus quidam primo pneumoniae symptomata exhibuit, secutum est cyprii coloris exanthema quoddam in fronte totoque corpore. Confessus est aegrotus se ante

14) London. med. Gazette Vol. XXVIII. pag. 218.

quatuor annos syphilide affectum multoque tunc mercurio se usum fuisse. Tum mercurius quoque administratus frustra, kalium iod., rad. sarsaparillae sanationem effecit. — Simili modo alius quidam, qui antea syphilide laboraverat, tunc autem pulmonum affectione cum intumescentia tibiae, sanatus est.

Innumera talium exempla exstant, quae asthmatis, tussis cum sputis cruentis, vomitus, cordis trepidationis speciem exhibent.

Sed quid est, quod his omnibus exemplis demonstrari putemus? Num affectio syphilitica pulmonum, ipsius igitur parenchymatis? Absit a nobis ista opinio! Possunt quidem pulmonum syphiliticae affectiones adesse, quatenus partium membrana mucosa tectarum istae adsunt, quibus ipsi pulmones irritentur inflammenturque. Inde Bronchitis [15]) omniaque eius phaenomena acuta (febris, tussis, sputa etc.) oriuntur. Quibuscum si coniuncta sunt exanthemata syph. aut si excipiunt ea, quod quidam malunt, facilior medico morbi diagnosis est [16]). Talis Bronchitis, chronicam formam accipiens multis cum sputis, viridis, gilvi albive coloris, admixto quoque saepe pure, facile phthisis haberi potest, imprimis in aegroto valde emaciato, collapso. Nec mirum est, tunc saepe oriri emphysema eiusque sequelas, hepatis dislocationem et intumescentiam, ectasin cordis dextri et postremo phthisin pituitosam, nec tamen sine aliis imprimis tuberculosis pulmonum degenerationibus. At propria haec vel directa syphilitica affectio non est pulmonum, sed ab affectionibus syph. tracheae, bronchiorum translata.

Eadem ratione diiudicanda videtur syphilitica illa bronchiorum affectio, quae usque in tenuissimos ramulos bronchiales diffusa, Bronchitidis capillaris formam exhibet, quamque sequuntur saepe stasis sanguinis in vesiculis pulmonalibus, infarctus, exsudata, quae pneumoniam [17]) aliaque efficiunt. Num

---

15) Bronchitis catarrh spl., acuta, chronica, Bronch. vera, capillaris, Bronchio-pneum. Pneumonia notha etc.

16) cf. Naumanni casum.

17) Führeri opinio, qui pneumoniam rectâ e syphilide oriri posse putat,

autem pulmonum has affectiones parenchymatis, quamvis ad removendum morbum primarium mercurius adhibendus sit, syphiliticas putabimus? [pneumonia ceteraeque tales affectiones una cum morbo primario vel post illum remotum curam specialem postulant!]

Similem saepe originem habere possunt Bronchiectasis, Bronchiostenosis, Bronchorrhoea.

Orta autem syphilitica quadam affectione in talibus hominibus, quorum pulmones iam antea focos pneumonicos vel exsudata tuberculosa habuerint, non mirabitur Pathologus Physiologusque rapidiores nunc metamorphoses fieri; cavendum tamen hîc diagnosi nostrae erit, ne tuberculosin [18]), syphiliticam diagnoscat [19]).

Hanc, quam rectissimam putamus opinionem, non debilitare, immo vero confirmare videntur omnes pulmonalium affectionum syphiliticarum observationes. Ubi enim cura specifica, tales removit affectiones, sanavit eadem morbum syph. principalem, affectiones reliquas facientem earumque propagationem retardavit; attamen cura syphilitica opus fuit ad easdem funditus removendas.

§. IX. Cor.

Inter cetera organa hoc quoque nonnulli sedem syphiliticarum affectionum putaverunt. Sic Meinel [20]) in clinico Lutetiae observatorum in substantia cordis tuberculorum mentionem facit, quorum causam viri syph. secretionem fuisse putat.

---

probanda non videtur; etsi sectione affectionem pneumonicam singularem quidem affert (et unusquisque pneumoniae casus singularia quaedam ac propria exbibet) tamen, quum alia quoque organa affecta esse potuerint, originem syph. diagnoscendam esse non putamus. cf. deutsche Klinik Nro. 23, Dr. Führer I. et II. casus.

18) Iis autem in casibus, ubi Ricord sexcentique et post et ante eum tubercula syph. aiunt, adesse quidem potuit iste status.

19) Ceterum hoc non est praetereundum, quod libenter concedimus, glandulas bronchiales et abdominis ut omne glandularum systema affici posse syphilide, et tunc aut nervos (imprimis pneumo-gastr.) premere aut hecticarum affectionum causas esse.

20) II. Bericht über die von der phys.-med. Societät zu Erlangen abgehaltenen Sitzung vom 9. Febr. 1846., 16. März 1847.

Corvisart quoque „les èxcès vénériens“ saepissime pericarditidis causas esse dicit, exinde „des taches blanches à la surfaçe du coeur“; deinde procedit: „Sous le nom de végétations je n'entends point parler d'éminences, ou aspéritès cartilagineuses ou osseuses, semblables ou analogues à celles, dont il vient d'ètre question, mais bien de veritables excroissances ou végétations molles ou peu consistentes, dont la nature serait tout-à-fait inconnue si une ressemblance parfaite avait les crètes et les choux-fleurs vénériens et quelques rapprochemens faits d'aprės un certain nombre d'observations ne conduissaient à penser que leur nature pourrait être syphilitique. Pourque en effet se refuserait-on à croire que le virus vénérien, qui se déguise sous toutes les formes pour attaquer des organes qui, par leur position sont à l'abride ses atteintes immediates, pourquoi dis-je se refuserait-on à penser, que ce virus puisse porter son action destructive sur le coeur, ou sur quellequ'une de ses parties? Et-il plus difficile de croire qu'il peut se former de végétations vénériennes sur les valvules du coeur, que sur la peau, aussi fine du gland, de l'interieur du prépuce, des petites lèvres, de l'interieur de la bouche etc., dont les apparences et le tissu connu ont d'ailleurs beaucoup d'analogie? Les cephalalgies opiniâtres et chronique, les douleurs ostéocopes, les exostôses etc. ne sont-ils pas aussi des effets de ce virus portès sur des parties situées hors de ses atteintes immédiates“ [21])?

Deinde quosdam cordis affectionum casus affert, quos syphiliticae originis esse contendit.

Ricord quoque in epistolis et prolegomenis de syphilide veterem illam opinionem vindicare studet, eandem multi sententiam profidentur, quorum tamen observationes nos hic enumerandas esse non putamus.

---

21) Cf. J. N. Corvisart. Essai sur les maladies et les lesions organiques du coeur etc. II. edit. Paris 1811. — Corvisart tam longe aberrasse videtur ut refutatione non opus sit.

Inveniuntur quidem in cordis valvularum superficie[23]) excrescentia quaedam cristita, similiterque in arteriis maxime diversas formas exhibentes, nec dissimilia omnino syphiliticis illis condylomatis. Quomodo, quanam ex causa autem syphilitica esse ea demonstrari possint, nescire nos confitemur. Id enim, quod in syphilide tales inveniuntur formae, nil confirmat, quis a forma eadem et specie, originem eandem demonstrari contendat? Temere hoc esset, cum Sandifort, Meckel, alii in foetu, Hope in pueris duobus duodecim decemque annos natis talia observaverint excrescentia, ubi tamen nulla syphiliticae originis suspicio esse potuerit.

Cui addendum, quod omnium fere docet observatio, talia excrescentia haud saepius in syphiliticis hominibus inveniri, quam in aliis. Nulla igitur indicia, nulla fundamenta sunt, quibus et cordis et eius membranarum affectionem demonstrare possimus.

§. X. *Pleura.*

Nimia quadam levitate Sadowski observatos in casu quodam tumores bullis similes, ortos quodam purulento fluido sub pleura, syphiliticos putasse videtur. Quod si autem pleuritis[22]) e causa venerea effici possit, quod contendere non audebimus, pleuritidem hanc non tam facile antisyphiliticis remediis solis amovendam esse censemus. Morbum principem secundum artis praescripta, pleuritidem non minus tractabimus.

Abdominis viscera.

§. XI. *Hepar.*

Nonnulli vetustiorum scriptores hepar inter cetera viscera frequentiorem syphilidis sedem putaverunt, nec

---

22) Führer in casu quodam syph. gilvas rubicundas siccasque granulationes in cordis superficie dorsali, atrophiamque aliquantulum cordis reperit. cf. loco cit. I. casus.

23) Dentsche Klinik Nro 25. 1854 cas. I. a Dr. Führer.

tamen nobis observationibus suis confirmare opinionem potuerunt. Quos secuti sunt recentiorum quidam, eiusque generis observationes se fecisse affirmantes. Sic Dittrich in illo, quem de hepatis syphiliticis morbis scripsit, libro, de eiusdem degeneratione quadam loquitur, [simili frequentibus illis indurationibus], de circumscriptis quibusdam exsudatis, nodis scirrhosis non dissimilibus (sed sanabiles), quae cicatrices profundas, substantiamque obsoletam relinquant. Haec omnia ex hepatitide c. syphilide secundaria oriri putat et materiem deinde fibrosam exsudari, cuius subsequens metamorphosis hepar deleat eiusque atrophiam adducat. Exemplorum, quae hic a Dittrich afferuntur primum est senis, cuius sectio edidit cicatrices syphiliticas in faucibus, eiusque in uvula et velis palatinis; dextrum hepatis lobulum contortum, unius digiti magnitudine, exhibuit, reperta quoque est tela quaedam cicatricum, thaleri magnitudine, pseudomembranis cum diaphragmate cohaerens. Lobulus hic quasdam habuit maiores vasorum canales et usque ad vesiculam felleam obsoletus erat. Sinister hepatis lobulus hypertrophicus, dextri partim locum occupaverat, similique modo affectus erat.

Hoc perfectae iam affectionis aliud excipiat exemplum, affectionem minus progressam exhibens:

Hepar. feminae cuiusdam, triginta annos natae, diversis lobulorum locis et in superficie circa venae Portarum ramulos praebuit nodos quosdam ciceris magnitudine, globulosos, canos, indecortabiles, e materie quadam fibrosa formatos; quorum nodorum maiores intus molliores apparuerunt, quidam in purificationem transituri erant.

In tertio quodam casu hepar hypertrophicum, anaemicum, solita tamen consistentia erat, totam superficiem cicatrices occupaverant. In interiore lobulo dextro plures fabarum magnitudine loculi, qui pus continebant, cana quadam fibrosaque cystarum coagulatione circumdati erant. Microscopus solitas formationes et texturas exhibuit [24]).

---

24) cf. Similem sectionis syphilitici cuiusdam descriptionem Dr. Führer l. c.

Quae omnia Dittrich syphilitica censet, exsudatumque illud hepatis syphiliticum e duobus partibus constare putat, quarum altera plastica viridaque, altera autem magis fluida, magisque ad resorptionem apta sit; et dicit plasticam illam partem transire in cystas, cicatrices speciem tumorum circumscriptorum exhibentes, aliam tertiam partem neque organisari, neque resorberi, accedente materie calcaria solidiorem fieri, obsolesci (tubercula). Henoch[25]) igitur, quum talibus sectionum indiciis syphilitica quaedam hepatitis cum neoplasmate et deletione parenchymatis demonstrata sit, medicos admonet, ut, ubi hepatitis chronica cum syphilide adsit, illam specificam affectionem hepatis suspicetur.

Tales observationes haud raro afferuntur. Ricord eorundem, quorum Dittrich, tuberculorum hepatis mentionem facit; Budd in syphilide cum hydrargyrosi hepar lardosum, Graves aliique in syphilide, nimio mercurii usu tractata, hepar tumefactum, nonnunquam icterum cum ascite observasse se dicunt[26]). Wintrich syphilitici cuiusdam casum profert, ubi hepar atque lien hypertrophica fuerint. Louvrier nauseam, vomitum, hypochondriam, diarrhoeam, obstructiones, icterum, hydropem, venam auream censet syphilide adduci; ita ut fere omnes, quae esse possunt hepatis affectiones e syphilide oriri putatae sint. Immo vero aetas fuit, qua omnibus syphiliticis affectionibus hepar semper infici putatum sit et medici quidam hepar fundamentum sedemque principem syphilidis appellaverunt[27]).

Quorum sententiae, quantam quisque vult auctoritatem adscribat, hoc omnes medici confitebuntur, apud multos syphilide laborantes hepar quoque affectum esse. Quod quidem alia ratione explanari potest. Nonne hepar ante syphilidem

---

dedit, ubi cystarum in hepate aliisque in organis formationem observavit. — Cum carcinomate cf. III. cas. eodem loco.

25) Henoch, Leberkrankheiten.

26) Portal exempla quaedam hepatum hypertrophicarum singularia effert, saepe quoque malaxia hepatis adfuit. p. 365.

27) Astruc „maladies vénériennes."

morbidum fuit? — Ac cedente autem syphilide, non est quod absurdum putemus, priorem affectionem auctam excultamque rapidius esse. Ceterum autem remediis antisyphiliticis nonne hepatis quoque affectio adduci aut augeri potuit?

Quae contemplantes, confiteamur necesse est, haud raro duos morbos in eodem homine simul adesse, syphilidemque saepe sine hepatis affectionibus, has quoque sine syphilide observari. Quodsi denique natura ad hepatis affectiones adest, non mirum, accedente syphilide, hepar eo magis affici.

Portal si, adhibito mercurio syphilidis hepatisque affectiones simul se removisse, tradidit, contra nostras sententias nil profert.

Non desunt porro illustrium medicorum observationes, quibus nimium propter mercurii usum praeter reliqua organa hepar quoque affici confirmetur, neque abesse potest omnino suspicio, his affectionibus saepe syphiliticam, saepius mercurialem fuisse originem. Spectare huc videtur Bonnetii ille liber „traité des maladies du foie“ „L'organe, qui sécrète la bile ne devient quelquefois volumineux chez les sujets atteints de scrophules ou d'affections vénériennes parce que ces deux états morbides coincidant dans une infinité de cas, avec une irritation de la muqueuse gastrique, qui ellemême tient alors soit aux progrès naturels du mal, soit aux moyens, qu'on emploie pour le combattre.“ — —

Burgarucius (1566) in dissertatione negat hepar illud esse organum in quo huius morbi seminaria conservantur et infiguntur, et meminit se nunquam hoc perspexisse, licet multa corpora publice Batavii, Lutetiae et in quamplurimis civitatibus diligentia qua potuerit, secaverit, quae indubitata omnium fide hac adversa lue usque ad ultimum diem laborasse cognovit. Quum porro addendum sit, tales affectiones hepatis in diversis quibusdam aegrotis diversas quoque esse, et remota iam syphilide sequelas diversis formis oriri posse, confitebitur sane quivis, non esse talem qualem hodie adepti sumus scientiam harum, rerum ut has affectiones, quae syphiliticis

aeque ac aliis contingant, syphiliticae originis semper esse putemus, et quas ipsi Ricord, Dittrich, alii, protulerunt observationes non tales sunt, ut eluceat illarum origo syphilitica, prius quam satis accuratis observationibus demonstratum sit, syphilidem hic quoque propria sua exhibuisse phaenomena.

§. XII. *Lien.*

Supra iam attulimus illud Wintrichii observati simul hepatis lienisque hypertrophici exemplum; constat porro unius horum organorum affectione alterum quoque affici. Quum omnino dyscrases sanguinis lienem afficere soleant, syphilitica quoque quadam dyscrasi eundem affici putaverunt nonnulli [28]) opiniones magis quam observationes accuratas secuti. Huic dyscrasi syph. attribuuntur nonnunquam splenitis, physconia lienis, phthisis splenica, atrophia lienis, tubercula [29]) etc. Quae autem de hepate diximus, hic quoque repetimus: has affectiones conditionesque saepe diversam originem habere posse, eoque magis esse nostrae sententiae adhaerendum censemus, quo pauciora de liene eiusque functionibus perspecta notaque nobis sunt. Non enim syphilitica adhuc lienis affectio specifica demonstrari potuit, quod priusquam factum sit, talem opinionem rectam esse nemini concedemus.

§. XIII. *Pancreas.*

Huius ut functiones, sic et affectiones nondum satis explanata sunt, difficillime diagnoscenda; symptomata dubia, incerta ut causae, quibus afficitur pancreas. Imprimis autem affici dicitur vicinorum organorum affectionibus (ut stomachi, hepatis etc.) intemperanteque vivendi ratione, syphilitica et mercuriali dyscrasia aliisque; omnia incerta accurataque observatione carentia sunt, ita ut syphiliticarum huius organi affectionum diagnosis inter difficillima problemata habenda sit.

---

28) Ricord, Wintrich, alii.

29) cf. Deutsche Klinik Nro. 25. 1854 Dr. Führer II. cas. quamvis hic nulla puris infiltratio nullaque phlebitidis symptomata reperta sint, tamen e pulmonibus syphilidem in lienem migrasse putat; nec tamen demonstrare potest.

§. XIV. *Tractus intestinorum. (ab ore usque ad anum.)*

Syphilitica oris fauciumque ulcera usque ad oesophagum procedere infaustissimasque affectiones efficere, quales sunt excrescentia, stricturae, talia, non est quod dubitemus, quum fieri hoc posse observationibus doceamur. Difficilius tamen crit interiorum syphiliticas affectiones viscerum demonstrare. Non defuerunt qui, ut maxime Andral, stomachi affectiones cura antisyphilitica removerint. Nec tamen nostra medicamentorum scientia ea est, quae e talibus sanationibus syphiliticam originem satis certe deducere possit, (cf. finem § viii) quum haud raro morbos remotos esse viderimus, quarum sanationem ex medicamentis adhibitis deducere non possimus. — Duodenum saepissime affici videtur, imprimis affectis simul organis vicinis, quare si omnino syphilitica hepatis, lienis, pancreatis, stomachi esset affectio, duodenum quoque affici non absurdum esset. Quidam longius progressi intestinum crassum rarius, tenue intestinum saepius, saepissime autem rectum affici syphiliticis ulceribus dixerunt[30]). Sunt quidem nonnunquam in inferiore tractu intestinorum imprimis circa anum ulcera, pustulae, excrescentia syph. etc., quae tamen saepe directo quodam modo oriuntur; aliis quoque in casibus tales affectiones secundariae. — Eadem fere de interioribus recti affectionibus valere videntur (ubi saepissime infaustae exoriuntur ex iis calamitates) et concubitu paederastico, talibusque, aut influente in anum nonnunquam pure genitalium fiunt: Quas affectiones autem trans S romanum propagatas observationes nostrae nondum invenerunt.

§. XV. *Renes.*

Nephritis albuminosa in syphilide inveterata reperta esse traditur. Multae, quae confirment hoc, observationes afferun-

---

30) Ediderunt sectiones stomachi viscerumque pathologicas immutationes nullas, quae ulceribus syph, papulis aliisve syphiliticis symptomatis similes fuerint. Affectio syph. adhuc putata, sed, etsi verisimilis, demonstrari non potest.

tur, nunquam autem observationes perspicuae fuerunt. Exempla enim, quae afferuntur, hominum ebriosorum, tuberculosorum etc. sunt, aut talium, qui cordis hepatisve chronicis affectionibus laboraverint. Tales autem homines a syphilide infecti, etsi postea morbo Brightii laborant, certo nobis esse non possunt indicio, hunc morbum ex syphilide ducendi. Tamen non negabimus, syphilidem morbum cooperantem hîc fuisse, eam excoluisse morbum priorem atque albuminuriam. In ipsis autem renibus, quod quidem nos scimus, syphilitica phaenomena [31]) non sunt reperta demonstrataque, quanquam quidam similes affectiones ut in hepate, liene in iis esse contendunt.

§. XVI. *Ureteres et vesica urinaria.*

Ureteres perraro morbis afficiuntur, nisi ex renum affectionibus et calculis.

Ipsius tamen vesicae urinariae inveniuntur ulcera syphilitica, nec tamen dissimilia reliquis huius organi ulcerationibus, plerumque in collo; saepissime rectâ ex ipsa urethra oriuntur (condylomata, excrescentia non desunt). Illustre tale exemplum [32]) e Ricordii clinico allatum est, ubi syphilitica vesicae ulcera quadrante excepto omnem partem spongiosam deleverunt; catarrhales quoque irritationes non rarae sunt.

§. XVII. *Urethra.*

Huius quoque organi syphiliticae affectiones primariae et secundariae notae, demonstrataeque sunt.

§. XVIII. *Prostata.*

Genitalibus syphilitice infectis haec (prostata) quoque affici potest inde oriuntur inflammationes, hypertrophiae, ulcerationes, abscessus, fistulae; num autem hoc organon, hanc glandulam sy-

---

31) Dr. Führer in syphiliticorum hominum sectione cystas in renibus observavit (singulari quadam specie) catarrhum pelvis renum. Eodem in casu cystae erant in hepate.

32) cf. Gaz. des hôpit. Août 1836.

philis directo modo affici possit, incertum nec observationibus statutum est.

§. XIX. *Vagina, uterus.*

Vagina saepissime syphiliticarum affectionum sedem esse quotidiana fere observatione constat, nec mirum cum rectâ virus hic deponatur. Similiter virus in portione vaginali rectâ aut consecutive deponi potest. Inde circa externum os uteri, in canale portionis vag., circa os ut. intern., totamque portionem vaginalem syphilitica reperiuntur ulcera, indurationes, stricturae, obsoletiones, alia. Saepe nec tamen semper cavitas quoque uteri syphiliticarum affectionum sedes est, inde maligna haud raro oriuntur effluvia, dysmenorrhoea, amenorrhoea etc. Qua de re Astruc, (et recentiorum temporum exempla, quibus hae syphiliticae uteri affectiones demonstrentur, non opus esse videntur in re, quam nemo fere nostrum neget) iam etsi non rectissime, distincte tamen scribit: Ulcus uteri malum est in mulieribus „quae lue venerea laboraverunt haud infrequens. Et profecto quidem debet uteri cavitas prae ceteris totius corporis partibus et gravius et frequentius affici etc.“ tum demonstrare pergit, quomodo primaria ulcera in uterum transferri possint et fluorem album, gummata, steatomata, tubercula, nodos etc. hac infectione effici putat[33]). Haud difficile est intellectu, infaustissimas inde conditiones oriri aut fingi posse et violentissimos saepe nervorum spasmos hystericos solis illis ulceribus uteri syphiliticis aut aliis effici observamus.

Praeterea menstrua mulierum syphiliticarum aut consistere aut irregularem typum facere solent, ex qua fontis naturalis infausta obstructione diversae calamitates oriuntur, sterilitas quoque syphilidem sequitur [34]).

---

33) Efficiunt quoque irritationes frequentes syph., carcinoma uteri, polypos, hydropes, leucorrhoea metritiden, metrorrhagiam, alia; quae affectiones ipsae tamen non syphiliticae nominandae.

34) Similis iam Fernelii Ambiani sententia est „de lue venerea curande.“ 1580.

§. XX. Ovaria

syphilide diversis modis affici atque immutari Astruc censet, quin etiam viri syphilitici sedem hîc principem esse putavit, quod quidem posteriorum temporum observatione non affirmatum est. Ut autem omnes ovariorum affectiones difficile diiudicari possunt, sic syphiliticarum imprimis affectionum difficillima est diagnosis. Negari vero non potest, id quod ex superiore iam § elucet, haec organa, affectis vicinis organis, aeque affici, nec tamen sedem principem praebere posse syphilidi.

Diversas ovariorum degenerationes, tophos, scirrhos, hydatides, hydropes, talia syphilide effici posse coniectura [35]) est et ut in § anteriore est explicandum.

§. XXI. Vesiculae spermaticae

multis afficiuntur morbis, imprimis tardis inflammationibus atque degenerationibus, id quod sectionibus edocemur; tamen harum affectionum natura causaeque nondum satis perspectae sunt.

Illae plerumque totius apparatus uro-genitalium affectionibus propagatis effici videntur, quare syphiliticis quoque non raro irritationibus. Quas affectiones saepe sequitur impotentia.

§. XXII. Testiculi eorumque tunicae.

In dissensionibus maximis haec res versatur; sic ab omnibus fere gonorrhoea recentiore quoque aetate inter syphiliticas affectiones habita, omnisque cum ea coniuncta epididymitis etiam orchitis syphilitica saepe appellata est. Deinde distinctione quadam facta, duo acceptae sunt intumescentiae et epididymeos et testiculi, altera cum gonorrhoea coniuncta vel sequens eam, altera autem in syphilide [36]) inveterata et

---

35) Reperitur saepissime haec affectio apud puellas publicas, nec tamen eam ob causam non nisi syphilitica est, quum continua quoque genitalium irritatio hanc affectionem adducere possit.

36) Astruc iam orchitidem commemorat syphiliticam (quam ex inveterata syphilide oriri dicit).

prima in gonorrhoea epididymin (epididymitis gonorrhoica; de qua hîc verba non faciemus longiora), secunda syphilidi propria, (orchitis venerea) testiculum ipsum afficit, quod tamen a quibusdam negatur; Velpeau et Blandin enim in omnibus genitalium affectionibus orchitidem oriri posse ajunt. Observaverunt autem orchitidem syphiliticam, Astruc, Allè, Barbier, Birkmayer, Blandin, Burkhardt, Brodie, Boyer, Cussack, Bell, Dupuytren, Beaumès, Cooper, Ricord, alii, negari igitur non potest; quamquam Dittrich ill. per viginti annorum spatium, et Pott nunquam viderunt illam.

Causae proximae huius affectionis, quas quoque observationes plurimae probare videntur, a Dittrichio etiam afferuntur: scrophulosis, dyscrasis carcinomatosa, rheuma.

Causae remotae et illae et contusiones, ictus [37]) taliaque esse possunt, minus tamen verisimile putamus, nimio mercurii usu effici posse orchitidem syph.

Morbi descriptio. Nonnulli orchitidem solitis glandulis tumefactis similem esse dicunt; primo inflammari, febrim, dolores obdurationesque efficere eam. Qui tamen gonorrhoicam tantum observasse epididymitidem videntur, ubi haec omnino adsunt symptomata. — Bérard orchitidem multos post infectionem annos oriri posse dicit, cui assentit Ricord, quum orchitidem symptoma syphilidis tertiariae appellet, aliique, nec non saepe eodem tempore exanthemata syphilitica et ossium affectiones adsunt. — Brodie et Benjamin Bell refutant illam A. Cooperi sententiam, qua orchitidem e tunica albuginea exoriri contendit et orchitidem ex testis substantia tubulosa ipsa exoriri malunt.

Evolutio semper maxime est retardata; plerumque sine ullo dolore oritur orchitis; paullatim intumescens testis saepe oculos non attrahit prius, quam quum magnus gravisque sit. Beaumès proprium orchitidi id affert, quod praecedat ei semper quidam funiculi spermatici dolor, qui usque ad regionem lum-

---

37) Etiam epididymitides gonorrh. superatae.

balem progredi soleat, saepissime autem sine ullis doloribus subito oriri orchitidem. (cf. postea Dupuytren.)

Plerumque unus tantum afficitur testis [38]), rarius uterque simul, saepius etiam affecto vel exstirpato iam uno, alter quoque inficitur.

Formam diversam habet testiculus (illo in statu) modo rotundam, modo ovi vel piri speciem. Superficies modo laevis, modo aspera nodosaque (huc et illuc inflato testiculo: Ricord [39]), Triplicis, quadruplicis quoque voluminis testis fieri potest (funiculus spermaticus plerumque integer manet), epididymin saepe in se recipit testis, plane [40]) elasticam illam naturam amittit, fit tenax solidus, torpidusque. (Integumenta nisi nimiae magnitudinis est tumor mobilia, normalia.)

Quae Dupuytren dixit, consentanea plerumque iam antea dictis, ne omittamus:

Dupuytren quotidie ad se venire dicit, homines testibus tumefactis affectos, quorum tamen originem ignorent (signum doloris deficientis); primo autem unum, deinde alterum testiculum affectum esse dicunt. Si igitur testis cylindri forma sit, si porro nullus accitus in eo adsit dolor, verisimile esse (imprimis si aegroti antea syphilidem absolverint) syphiliticae originis indicium. Sin autem testis scirrho affectus esset, ne post exstirpationem quidem unius testiculi in alterum transire affectionem; syphiliticam autem intumescentiam testis, exstirpato uno teste, in alterum transmigrare [41]). Quibus symptomatis, si alia quoque accedant, ut pustulae, exostoses, exanthemata [42]) syph. diagnosin fere certam esse. — Quae si non accedant, tamen melius curam antisy-

38) Cussack „Dublin Journal of med. sciences." 1835 Novbr.

39) Saepe complicatio cum hydrocele, nonnullis in casibus adhaesiones quaedam inter tunic. vag. et tunic. albugin. adsunt ita ut spatia sero completa, intumescentias formantia se praebeant.

40) Ita ut persentire eam non potes, sed sanus manet.

41) Beaumès tamen aliique affectionem ex uno testiculo in alterum transire negant tunc praeter anamnesin et symptomata alia nulla certa diagnosis.

42) Cooper, Beaumès, Ricord, Bassereau (Gaz. des hôpit. 1853 Nro. VI) plerumque observaverunt.

philiticam frustra institui, quam exstirpationem, quae postea semper effici possit.

Quod ad functiones testiculorum attinet, ratione, qua intumescentia indurationesque augentur, hae diminuuntur, ambobus testiculis affectis, erectiones imperfectae fiunt, postremo iam erectiones nullae esse possunt; spermatozoa evanescunt, sperma ipsum aquosum fluidum fit; alter autem testis si integer remansit, omnis in eum vis spermatica transire videtur, concubitusque instinctus major potius esse videtur.

Exitus maxime sunt diversi: antisyphilitica curatione, aut nulla etiam adhibita removetur orchitis venerea, manet quoque per totam vitam; perforationes integumentorum, ulcerationes telae cellulosae non sunt inauditae, quin etiam Cooper testiculum ipsum exulceratum vidit, quod Ricord maxima severitate negat. Effluvia inter tunicas et integumenta non raro sequuntur, testiculi quoque atrophia observata est corrugatione.

Transire illam affectionem in carcinoma haud verisimile videtur; attamen id, quod Beaumès dicit, illa testis affectione priorem carcinomatosam excoli dyscrasin, non spernendam esse puto [44]. Quare primo syphiliticas, deinde autem tuberculosas, postremo carcinomatosas vel scirrhosas testiculorum reperire possumus affectiones.

Quarum affectionum tractatio minus perfecta adhuc, modo antiphlogistica, modo antisyphilitica remedia commendat.

Specifica quasi commendantur: Baryta mur. (Hufeland.) Antimonialia cum cicuta (Ricord) et jejunia, radia sarsaparillae. Localia applicantur: emplastra varia: empl. de Vigo, empl. mercuriale, cicutae, alia; inunctiones varii generis; suspensorium imprimis et compressio, moxae e kalio bichrom.

---

43) Certissima orchitidis venereae signa nobis esse videntur: anamnesis, ortus affectionis tardus sine doloribus, affectio ex uno in alterum testem migrans, postremo: remotio affectionis remediis antisyphiliticis.

44) Toucard, Gaz. des hôpitaux 1845, Nro. 143.

(Hölscher) D'Outrepont omnia spernens, Bromium balneaque salina, iodosaque commendat.

§. XXIII. *Peritoneum.*

Hic quoque, quae de pleura diximus, valere videntur.

§. XXIV.

Pertractatis sic visceribus, allatis nonnullis exemplis illustrioribus, accitis quoque atque breviter diiudicatis clarorum virorum opinionibus atque sententiis, ea quoque, quae nos his de affectionibus sana atque firmata putemus, proferamus necesse videtur.

Primo igitur loco hoc ponimus:

Rectâ nunquam nervorum systema afficitur syphilide, omniaque huius systematis, quae adhuc syphilitica putata sunt, phaenomena ex aliarum telarum syphiliticis affectionibus originem ducunt.

II do. Respirationis organa lue venerea afficiuntur, quatenus eorum bronchi mucosa teguntur membrana; quibus infectis secundariae nec tamen syphiliticae horum organorum adduci possunt affectiones. Cor syphiliticarum affectionum sedem esse nondum demonstratum est, de pleura autem vide, quae supra diximus.

III tio. Tractus intestinalis syphilitica non exhibet phaenomena, nisi iis in partibus, quae aut aëri aut viro syphilitico aditum praebeant. Qui reliquorum abdominis viscerum syphiliticas affectiones existere censuerit, coniectura tantum niti videtur; nulla enim, quae soli syphilidi contingant phaenomena hic inventa adhuc sunt. Peritoneum cf. §. 23.

IV to. Non omnis, quae manente syphilide aut post eam observatur, affectio, syphilitica est (multae enim affectiones aut ante aut post syphilidem oriri possunt; quas excoli rapidius syphilide concedimus, nec tamen ipsas semper syphiliticas esse putamus [45]).

---

45. Nullum iam pathologia exhiberet morbum, quin syphilide possit adduci.

V to. Praetermittendum non esse videtur, non omnes, quae remediis antisyphiliticis removeantur affectiones, syphiliticas esse.

VI to. Ipsa cura antisyphilitica, nimio vel inapto mercurii, iodi aliorumque medicamentorum usu nonnunquam affectiones adduci possunt, quae postea syphiliticae putentur.

VITA.

Ego, Carolus Koerfer, natus sum Aquisgrani die XIII. mensis Martii anni MDCCCXXVIII, patre Leonardo, matre Maria Anna, e gente Rosen. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Aquisgranense, quod cl. Dr. Schoen florebat, adii. Unde, cum testimonio maturitatis discedens, Bonnam me contuli auctumno anni MDCCCXLIX, ubi a rectore magnifico Prof. Dr. Bluhme, data dextra, in civium academicorum numerum receptus, nomen apud decanum spectatissimum Dr. Noeggerath professus sum. Postquam per annum scholas philosophicas nec non theologicas frequentavi, ineunte auctumno anni MDCCCL, studiis illis relictis, arti medicae operam dare mihi proposui et ab ill. Nasse, spectatissimo t. t. medicorum ordinis decano, in album ordinis medicorum inscriptus sum.

In scholis exercitationibusque practicis mihi duces fuerunt professores:

cl. cl. Knoodt, Welcker, Ritschl, Monnard, Ritter, Arndt, Heimsoeth, Loebell, Hilgers, Vogelsang, v. Riese, Nadaud; deinde cl. cl. Mayer, Weber, Plücker, Budge, Noeggerath, G. Bischof, Troschel, Treviranus, Albers, Hoppe, Schauenburg, C. O. Weber, E. Bischof, Naumann, Wutzer, Kilian.

Quibus viris omnibus maximas ago gratias, imprimis vero praeceptori dilectissimo ill. Naumann, qui mihi in clinico medico assistentis secundarii munere per anni spatium fungenti egregiam semper praestitit liberalitatem summamque comitatem.

THESES.

1) *Cura symptomatica saepissime unica.*
2) *In determinandis medicamentorum dosibus non ad solam aetatem aegroti respiciendum.*
3) *Caries et necrosis eaedem passiones in ossibus, quae exulceratio et gangraena in partibus mollibus.*
4) *Injectio fluidi irritantis in hydrocele non semper relinquenda.*
5) *Nutritionem foetus per os nego.*
6) *Funiculi umbilicalis deligatio intermissa utique periculosa est.*